

Peter Lauremberg

## Programma


Rostochi[i]: Pedanus, 1635

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757451578>**

Druck Freier  Zugang











*Ph. - 240 (2.) <16. Jhr. >*











PROGRAMMA

QVO

Rektor Academiae Rostochiensis

PETRUS  
LAUREMBERG.

Phil. & Med. D. ac

Prof.


Ad

Solennem LEGUM prælectionem audiendam,  
iisq; sedulam obseruantiam præ-  
standam,

Cives Reipublicæ hujus litterariæ quot  
quot sunt,

Ad Diei Crastini Horam IX.

Amicè invitat, & seriò hortatur.



ROSTOCHI,

Litteris Viduæ JOACHIMIPEDANI Acad Typog.

M. DC. XXXV.



✕

PROLOGUS

P E T R U S  
L A U R E N T I U S

1711

Solennem

Actus

1711

Amstelredamum

1711

1711

1711





RECTOR

Academiæ Rostochiensis

PETRUS LAUREMBERG,

Phil. & Med. D. & Prof.



Lurima à Poetis, sapiente ac erudito illo hominum genere, Fabularum cortinis abscondita sunt, quæ si in apicum proferantur, modò subministrant præcepta salubria vitæ; modò edocent potestates ac naturas rerum; modò graphice depingunt ostenduntq; qualis sit vitæ humanæ

conditio, & quali sorte fruantur hi, qui sive publicis, sive privatis muneribus incumbunt. Singula citare ad documentum, non est præsentis consilij aut operæ. Causam, quam nunc ago, satis juvabit fabula toto notissima cœlo, quæ de Herculis vitâ, moribus, facinoribus circumfertur. Finxerunt igitur illi, quos dixi, *πατέρες τῆς σοφίας*, Herculem Thebanum inter Heroas omnes, quos sol aspexit, unum & principem fuisse Monstro-

A 2

rum



sum domitorē: quippe qui *Leonē* prostravit. (cuj<sup>9</sup> spoliis pelleq; tectus incessit postmodū;) qui *Cervum* aëripedem confecit: tum *aprum* Ætolicum: tum aves *Stymphalidas*; tum *Hydrum* Lernæam, quæ *secto corpore firmior Vinci dolentem crevit in Herculem*: tum monstruosum *Antæum*, plurimaq; similis census Victor sustulit e medio. Arbitror equidem Apologum hunc non inconcinne trahi posse ad Leges, quarum usus est in Republicâ: Quod Alcides monstris fecit: id salutare Leges præstant perverfis vitiosisq; moribus, qui hodie instar herbæ irriguæ densius luxuriant, & proclivius crescunt, quam olim resecta Excetræ capita. Ut inde initium ducam: Hercules horrifco pingirur schemate, clayam manu Vibrans, spoliis leoninis circumcinctus: hirsuto, lacerato, fuscoq; corpore, instar terriculamenti alicujus. Mecastor annon similis etiam legum est conditio? Hæ terrorem incutiunt & atroces videntur omnibus, quorum mens à bonâ ratione, ab integritate, ab honestate recessim abivit; quos proinde interaneus in pectore, tortor metu indefinente exercet & affligit. Qui sibi bene sunt conscij, immunes à turpitudinibus, Integri vitæ scelerisq; puri, ii neutiquam percelluntur, sed potius gaudent legibus; non secus ac Herculis amico congressu, & familiari alloquio fructi sunt Jason, Castor, Pollux, cæteri; expeditionis Argonauticæ Socij. Cum monstris saltem, non item cum ingenuis bonisq; viris pugna fuit Herculi. Perverfis & nequam animis dividia & cordolio sunt leges. Qualis est *Leonum* ferocia, & superbia, & crudelitas, & rapacitas, talis item deprehenditur indoles plurimorum, agentium passim in politijs Academi-

cis;



cis; ( scilicet missis aliis Rebuspublicis, circa has vertitur Cardo nostræ sollicitudinis & laboris: ) Hic alter sævit in vitam, in sanguinem, in famam alterius, crudeliori ausu, quam ferocissimi Leones. Nam

Non hic lupis mos, nec fuit Leonibus  
Unquam, nisi in dispar feris.

At unius studij cōpares & assēclæ, sub communi Musarum vexillo militantes, sæpe uno convictu, & iisdem parietibus recepti, invasionem faciunt alij in alios. Accersendus est Hercules; producendæ legum sanctiones; quæ præceptis castigant, severisq; poenis prosterant ferocem illam proterviam; quæ humi projiciant degenera isthæc capita, alienissima ab humanitate, cujus præter vacuum titulum, ne pulvisculum quidem possident. *Cervum* interfecit Hercules. Cervi naturâ leves sunt, fugaces, stupidi; interim societatis amantes, gregatim incedentes, catervatim trajicientes flumina. Prò Deum fidem! quantum cervinæ indolis gregem, in Lycaeis Germanicis (utinam non & in hoc nostro!) reperire est nunc temporis! Levitas & lubricitas vanissima tum vitam, tum mores, tum incessum, tum amictum, tum gestus, tum totos animos studentis pubis tam perniciosè afflavit, quasi segetes solet pestilens aliquod ac noxium sydus de coelo. Et hac quidem lue tacti ut plurimū ceteris sunt stupidiores, rudiores, ignaviores. Quin & hoc commune ij habent, cū aëripedibus, quod congregationes ament. Nimirum nisi Societates congregorum, & popularium conventus, clanculariâ conspiratione foverent, metus foret, ne à quovis obvio intriviis diffarentur, quasi ventò folia, aut peniculi tectorij,



rij. Adesto Hercules; prodeat legum disciplina  
Et hos fugaces prosequitor viros;  
Tollatur e medio exulceratum id vivendi Cacoetes,  
eoq; liberetur Respublica, ceu nocivâ, turpi, & ferâ  
bestiâ, *Aprum* trucidavit Tyrinthius, Sunt & in litteraria  
vineâ aprorum similes plurimi, abs quibus vastatur  
ager paterni proventus; perfoditur incolumitas  
& honos Academicus: qui dum helluando & tuburci-  
nando amant *Nunc partem solido demere de die: Nunc*  
*Lyæo* consecrare pervigiles totas noctes, & potare us-  
que ad stellam matutinam aut diurnam; dum volupta-  
tum ac libidinum turpi cæno sese volutant & collutu-  
lant, quid mirum si (ut *Ulyssis* socij stolidi cupidique  
bibentes) Vivant ceu canis in mundus, vel amica luto-  
sus? Præsto sit Alcides! Robur suum exserant statuta &  
leges! tollantq; e medio sordidos hos & agrestes *Ne-*  
*frendes*, ne quid per eos Respub. capiat detrimenti. In-  
ter monstra ab Hercule profligata, fuerunt & *Stymphali-*  
*de* aves in Arcadia, tantæ magnitudinis, ut solis radios  
obumbrarent, depascentes segetum in agris spicas: do-  
nec crepitaculi sonitu pellerentur ab isto Heroe. Sed  
neq; desunt undiquaq; Academiis id gen° volucres Ar-  
cadiæ, quæ juniorum adolescentum ad volantū *pennas* &  
*alas* evellunt; proventus annuos abliguriunt, & defrau-  
dando quasi in scorias redigunt: (*unde his scorista nomen.*)  
verè ipsi nihilo majoris precij atque scoria; nulli rei  
præter quam fruges cõsumere nati, depascentes id quod  
alios capere oportebat. Eorum solemnis & familiaris ge-  
nius est, clarissimo soli nebulas offundere, (sicubi faci-  
norum suorum rei peraguntur) & consucis dolis obum-  
brare



brare jubar apertæ veritatis. Etiam his occurrit Hercu-  
lea legum efficacia, eosq; sonorâ voce, acuto Calamo,  
penetrantibus edictis, relegat, propellit, jubetq; avo-  
lare ad Garamantas & Indos. Possent & Hydram Lernæ-  
am, & Antæum in scenam protrahere, nisi tæderet, seu,  
ut dicam rectius, puderet enormia vitia, & irregula-  
res prævaricationes sæculi nostri magis palam facere:  
licet jam ante, prò nefas, nimis quam versentur obo-  
culos omnium. Cæterum etiam illud de Hercule ad-  
junxit fabulosa antiquitas, quod descenderit ad infer-  
nales Plutonis sedes: quod apud Omphalen colum tra-  
ctare, & lanam nere jussus, sæpeq; sandalio tactus caput,  
turpem servierit servitutem. Ne legibus, statutis, aut  
senatus consultis idem accidat, ea scilicet providi & in-  
genuj Magistratus curatio est. Si illi qui præsent saluti  
publicæ, qui clavum dirigunt naviculę litterariæ, pati-  
untur leges oblivione expungi, silentio præteriri, neg-  
lectu antiquari, quid aliud agunt, quam quod easdem  
demittant ad Acherontem, & in tenebras profundas  
conii ciant? quid aliud, quam quod mancipia eas faci-  
ant alienæ libidinis? quasque imperare decebat, in-  
honestâ servitute premant? Dij meliora piis: erro-  
remque hostibus illum. Nostræ curæ & officij erit  
providere ut legum nostrarum auctoritas & virtus  
sarta tecta fervetur; ut earum vigor maneat salvus, si-  
quidem Rem nostram publicam, nosq; ipsos salvos &  
incolumes optamus.

Hoc igitur curaturis nobis consilium est,  
salutarium Academiæ hujatis Legum Repeti-  
tio-



tionem, pro veteri consuetudine, die crastini  
ad horam IX. in Auditorio; majori instituere;  
facereq; ut ad omnium Reip. nostræ civium au-  
res ac cognitionem istæ perveniant: ne quis de  
earū ignorantia habeat conqueri. Vestrum nunc  
erit, quotquot bonam mentem amatis, litterati  
ordinis Viri inclyti, Domini Professores, Doctores,  
Divini verbi præcones, Magistri, imprimis  
cultissima studiosæ juventutis cohors, vestrum  
erit non solum Actum hunc publicum accessu  
frequenti solemniorem reddere, sed etiam ope-  
ram dare, ut statutis nostris conformem vitam  
ducatis.

P. P. Sub sigillo Magistratus, Anno 1635.  
20. Octobris.

ne : fa




3. Mai 1954









tæ veritatis. Etiam his occurrit Hercu-  
tia, eosq; sonorâ voce, acuto Calamo,  
dictis, relegat, propellit, jubetq; avo-  
tas & Indos. Possẽm & Hydram Lernæ  
in scenam protrahere, nisi tæderet, seu  
is, puderet enormia vitia, & irregula-  
ones sæculi nostri magis palàm facere:  
orô nefas, nimis quam versentur ob o-  
Cæterum etiam illud de Hercule ad-  
antiquitas, quod descenderit ad infer-  
edes: quod apud Omphalen colum tra-  
nere jussus, sæpeq; sandalio tactus caput,  
it servitutum. Ne legibus, statutis, aut  
is idem accidat, ea scilicet providi & in-  
tus curatio est. Si illi qui præsumt saluti  
ivum dirigunt naviculę litterarię, pati-  
ivione expungi, silentio præteriri, neg-  
quid aliud agunt, quam quod eadem  
Acherontem, & in tenebras profundas  
id aliud, quam quod mancipia eas faci-  
dinis? quasque imperare decebat, in-  
ute premant? Dij meliora piis: erro-  
us illum. Nostræ curæ & officij erit  
legum nostrarum auctoritas & virtus  
retur; ut earum vigor maneat salvus, si-  
nostram publicam, nosq; ipsos salvos &  
amus.  
tur curaturis nobis consilium est,  
Academię hujatis Legum Repeti-  
tio-